QVAESTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS IV. DECEMB. M. SIMONE LE TELLIER DOCTORE MEDICO ET REGIO MODERATORE.

672

An purpuratis febribus Cardiaca?



EBRIVM quædam mitiores & securiores, quales intermittentes omnes, quas qui committit humor in minoribus vasis atque habitu corporis stabulatur, ac statas illas & stupendas periodos inexplicabili quadam idiotropia ciet. Aliæ grauiores, periculosiores, maligniores. Malignitas, vel à magnitudine, vel à putredine, vel ab interna quadam inflammatione. Causus magnitudine & vehementia nulli cedit. In eo calor igneus, non tamen specie distinctus à vitali, multis gradibus à mediocritate recedit; inde pathognomonica illa, sitis inexplebilis, & calor deurens. Putredo omnis à calore extraneo est, in eaque definienda Galenus ab Aristotelis mente non recedit. Isti labi humores imprimis expositi, spiritus immunes & ab hoc maleficio liberi. Putredinis gradus & differentiæ plures. Contumacioris & altiùs impressæ participes sunt, hemitritæi, tritæophyees, purpuratæ, pestilentes, quarum contagium caue putes veteribus incognitum. Diuersum sed non minus periculosum symptomaticarum genus, quod veluti propago est phlegmones alicubi conceptæ. Inde febres ab acutis inseparabiles; febres è bubonibus ortæ, aut quibus bubones succrescunt omnes sunt malæ.



ALIGNITATIS variæ traduntur ecphrases, variæ per ora medicorum circunferuntur definitiones, nulla non commoda est. Veruntamen sic habeto. Affectum eum verè prauum esse, quem signa & symptomata quàm pro more deteriora comitentur, siue furtim grassetur, siue palam. Latet intimis abdita corporis recessibus, atque occultos veluti cuniculos agit eximia pestilentium febrium putredo, quæ caloris suauitate, vrinarum bonitate, pulsuum moderatione, nonnumquam incautos tollit, & peritioribus etiam artificibus imponit; sæpius in propatulo sunt, & obuia malignitatis indicia. Effera hæc & quàm natura morbi ferat seueriora symptomata quis neget à conditione causæ morbificæ profiscisci, vt ij quoque iure maligni dicantur, qui à talibus excitentur causis. Sic quartana malignior & contumacior ab atra bile, lethalis ab eadem dysenteria, incurabilis elephantiasis, delirium ferox cum studio & taciturnitate coniunctum malignum. Sic vlcera influentis humoris ratione ægrè cicatricem accipiunt. Annon quoque partis affectæ conditio idem præstat & efficit, vt affectus à vulgari recedat more? Sic punctus aut præcisus neruus quàm terrifica parit, quæ non solent etiam ingentia alibi vulnera consequi. Ad hanc igitur cynosuram se conuertit verus medendi artifex in Hippocratis & Galeni methodo (præter istam nulla est) à puero si fieri potest, & teneris vnguiculis diligenter eruditus. Ad hæc tecmeria numquam fallentia respicit, quæ quouis anni tempore, quauis orbis regione & plaga, morbi naturam, solutionem, & euentum significant.



NNON verò inter omnes eximiam quandam malignitatem præ se ferunt purpuratæ quæ dicuntur febres, nostro vel parentum sæculo minime natæ quarum ἐξανθήματα & ἀναδήματα culicum morsibus non absimilia, putredinis & venenatæ qualitatis consectaria probe agnouit & graphice pro suo more delineauit Hippocrates. Quo in genere reponere liceat ambiguum est, nisi quod ardentium naturam propiùs referunt. Vt vt sit negari non potest putredinem insignem humoribus omnibus insidere, peccare quidem & putrere sanguinem, sed reliquos etiam humores eandem sentire labem, parique cum sanguine contagio contaminari. De malignitate dubitas? Symptomata effera & insolentia contemplare, soporem, delirium, lipothymiam, vrinas varias, tenues, crassas, rubentes, confusas, pulsum conuulsiuum, linguam tremulam, supinum decubitum, deiectiones fœtidas, cineritias, flauas, albas, serosas, vno verbo omnia consummatæ & altissimè impressæ putredinis ἔννοια.



RVMPVNT vero Exanthemata criticè nonnumquam, cùm in cutim commune totius corporis emissarium, excipiendæ partium internarum illuuiei, & impuritati destinatum, tactus tamen sensorium, naturæ robore propelluntur & efflorescũt. Symptomaticè & sæuientis morbi orgasmo sæpius. Criticæ sunt vt plurimum puerulorum papulæ (variolas vocant & morbillos) impurioris nec satis defæcati sanguinis materni purgamenta, quibus dum ęgrè erumpunt, quouis lapide Bezoardico præsentius, efficacius, securius auxilium est sanguinis detractio, nec pueris, nec prægnantibus, nec senibus, nec vllo anni vel morbi tempore, imo ne diebus ipsis quidem criticis deneganda. Symptomatica sunt quæcumque per malignas febres cutim fœdant atque inficiunt. In his spectatur color, numerus, locus, magnitudo, eruptionis tempus, nihil horum prohibere potest, quin toto genere vitiosa sint, & maligna, à quorum libera eruptione, frustra salutare aliquid tibi pollicearis, cum sint agitati & feruentis intus humoris duntaxat Ecthymata.



VRPVRATIS vero febribus, qui rectè mederi voluerit duplicem sibi scopum constituat necesse est, nec solum de coercenda euacuandaque putredine sed etiam contemperando restinguendoque incendio cogitet. Duo hæc si vllũ ex arte nostra remedium præstat, præstat phlebotomia verè ἡγεμόνικον & δραστικώτατον remedium, catharsi præferendum, & quoties vtriusque par incidit necessitas præmittendum. O vnicum putridarum febrium alexiterium! quidni etiam pestilentum? quarum maligna putredo non vesicatorijs aut vllis alijs metasyncriticis, multo minus diaphoreticis euocari, non sudorificis in extimam corporis superficiem propelli, non theriacâ, aut mithridatio absumi, solâ sanguinis sectis citra moram basilicis aut saphenis, scarificatis cucurbitulis, admotis hirudinibus eductione vacuatur; vtrobique est secunda post naufragium tabula, & sacra medici dogmatici anchora. Phlebotomiam sequentur cardiaca aperta, roborando cordi, reparandis retinendisque spiritibus, exsorbendæ putredini, prohibendo vaporum malignorum impetui, aperiendis reserandisque meatibus comparata, tempestiuè tamen & cum delectu vsurpanda, à quibus apparato iam & mitificato humore, suus purgationi debetur locus.

Ergo purpuratis febribus Cardiaca. 119

Proponebat CAROLVS GVILLEMEAV Parisinus Primarius Christianiss. Regis Chirurgus A.R.S.H. M.DC.XXV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Dionysius le Soubs.	*M. Ioannes Bourgeois*	*M. Andreas du Chemin.*
M. Barptolomæus Barallis.	*M. Mauritius de Monstr'œil.*	*M. Georgius Arbault.*
M. Carolus le Clerc.	*M. Guillelmus Gyon.*	*M. Carolus Bouuard.*

